



# Disputatio philosophica inauguralis de dominationis jure

<https://hdl.handle.net/1874/345236>

34.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DOMINATIONIS JURE;

QVAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Subtilissima  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*

Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis  
ritè ac legitime consequendis.

*Quorumlibet iudicio & censura subjicit*

NICOLAUS TILBORGH, Rheno-Traject.  
A. D. 24. OCTOBRIS, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiac  
Typographi, clc lcc xciii.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
IN SEQUITRIA  
DOMINATONIS IURE;  
MORALIS ET EUDÆMONIA  
LIBERTATIS  
J U S T Æ  
AMATORIBUS.

TRAJECTORIÆ RHENIANÆ  
Ex Officij FRANCISCI HALMI, Academici  
Typographi, 1710. DECIMI.

# DISPUTATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS.

D E

## JURE DOMINATIONIS.

### THESIS I.

Tiam si libertatis suæ amantissimus homo foret, ejusdem tamen & conservandæ, & per aliorum subjugationem augendæ studio abreptus, ex parte saltem dispendium pati coactus fuit. Solus enim multorum viribus resistere ineptus, socios sibi adiungere consultum duxit, quorum auxilio vim inferendam melius averteret, aut illatam prosperiori eventu propulsaret, & vindicaret facilius, atque ita ejusdem foederis sodalibus se aliquatenus subjiciendo libertatem diminuere & scelerorum nequitia, & dominandi insatiabilis libido coegerit. Sed non substitit illic independentis arbitrii perniciosissima lues, serpsit ulterius. Dum enim ne quidem ab ejusdem pacti foederatis se omni modo tutum crederet, satius esse duxit unius paucorumve (quos tum sorte ductos, tum ob virtutis studia electos, ad id idoneos esse putavit) imperio regi, eisque foederis initi tutelam committere, quam amissâ libertate, simul & bonis, & denique vitâ privari. Attamen ut huic malo, quantum potest, subveniret, Leges, quibus imperio limites poneret, imperantibus praescribere non dubitavit, libertatis amissâ damnum pro viribus reparare adnixus, continuo metu correptus, ne nunc quoque ipsi, quibus commissa pacti tutela fuerat, ex innato omnibus independentiae ardore, praescriptorum terminorum limites transilirent, & pro suo lubitu subditis mandata darent. Verum enim vero singulos casus determinare cum humanæ menti, futuri haud praesagæ, impossibile fuerit, & vicissim quavis in re subditorum voluntatem inquirere urgens necessitas vetaret, Principes sibi id licuisse crediderunt, Leges ante imperii collationem praescriptas aut amovere, aut saltem immutare. Atqui ita sub-

## 4 AD DISPUTATIO PHILOSOPHICA

ditis sibi vim fieri, & pactum violari clamantibus, Quæstioni huic ansam præbuerunt: quo jure, quâ injuriâ causam suam hic agant Superiores, dum pro suâ independentiâ Reges, pro suâ libertate stant continuò Regibus subjecti Cives.

§. II. Illud igitur in quæstionem venit, an Principi liceat Leges illas transgredi, quas ante collatum in ipsum, aut potius stabilitum, & jurejurando firmatum imperii pactum, ei præscriperunt aut Populus, aut Proceres, tanquam legitimæ gubernationis fundamenta & conditiones, si nimirum Resp. in extremo periculo versetur, atque ita hactenus illud fœdus, quod inter imperantem & eos, qui se sub conditione ejus imperio submiserunt, quodque sacro ritu sanctum fuit, violare, nullo subditorum intellecto consensu, idque tantum, ne quid Resp. detrimenti capiat, cum ingruens necessitas civium consensum impetrare non permittat. Non enim in controversiam cadit, an statutos dominii limites, consenserintibus illis, quorum curæ hi commissi sunt, transgredi quibusdam casibus permittatur? Id enim certum esse docet ultro citroque obligatoria contractus natura, partis utriusque consensum in re, super quâ contrahitur, tum quoad obligationem, tum obligationis remissionem exigens. Nec de eo lis instituitur, an quocumque loco, tempore & casu id à Principe fieri possit? Procul enim omnino dubio est, Imperantes promissionis factæ & jurejurando sanctæ viribus ad perfectam omnium observantiam adstringi. Nec quisquam assensum hic negaverit unquam; nisi vel nullum Deum dari, jurisjurandi violati severum vindicem, sibi persuadere conetur, vel proprii lucri cupidine, prorsus servili modo adulando, libertatis umbram quoque vendere non erubescat. Sed illud in ambiguo positum est, an insciis, adeoque consensum suum non conferentibus iis, quibus hæc provincia demandata est, ut prævisa Reip. fata avertantur, ejusdem Jura, quæ Fundamentalia appellari siveverunt, Superiori tollere permisum fuerit, id est, Dominii Jure utri, dum illis in rebus fuit Dominum, pro suo arbitrio agentem, gerit, in quibus obedientiam ex præmisso præstare tenebatur. Nos, dum plurimi, sive Reip. discriminem miserti, sive Principibus addicti, aut ab iisdem subornati, affirmativam sententiam amplectuntur, negativam præferendam arbitramur, dum Reges & Subditi utrimque sua Jura armis propugnant, post principia securius penâ & rationum pondere acturi.

§. III.

¶. III. Harum itaque prima sit illa, quam nobis ipsa natura p̄acti suppeditat; pacti, quod ante delatum Principi imperium ipsi cū Populo, tunc æquali, intercessit, quodque sanctè confirmare tenebatur, antequam obedientiam à subditis exigere jure posset. Cum enim illud juxta communem omnium mortalium ex natura æqualitatem ipsum quoque Principem obligare debeat, & nullius necessitatis difficultas id, quia jurejurando confirmatum est, irritum facere possit, dummodo ex natura suā, sive quia est super re illicitā, sive aliā de causa ejusmodi non fuerit, manifestum est, ejus annihilationem etiam in extremo Reip. discrimine locum habere non posse; cum nulla res obligationem Deo debitam unquam auferre possit. Neque hanc difficultatem tollit ea, quæ hic moveri potest, exceptio, quā hanc non esse pacti violationem defendant adversarii, quia semper in ejusmodi foederibus tacitam quandam conditionem involvi statuunt, quā non ulterius iis se adstrictum putare tenetur Imperans, quam id ē re Reip. esse duxerit, cum ipse tantum conservandæ & protegendæ ejusdem causā fuerit civium caput constitutus, & singulos casus determinare humano ingenio plane impossibile fuerit, tantum generalia exprimenti, ut Reip. clavum dirigentes à tyrannide arceat, illis rebus Regum prudentiæ commissis, quas, et si foederi contrarias, communi commodo inservientes viderint. Nam præterquam quod hæc omnia toti Reip. corpori perniciössima esse debeant, etiam in tantum, ut optimum quoque Principem tyrrannum evadere, & imperium Herile erigere suadeant, cum, quō quis generosior Imperans, eō gloriæ, quam Resp. sibi servans ipsi detrahit, magis æmulus, quicquid vel minimā justi & æqui specie potest, sibi sumpturus sit, & si potest, ex innato imperandi ardore conservaturus. Prius quod attinet, quod sc. Imperans tantum Civium causa existat, adeoque in eorum incommodis præcavendis pacto cum iisdem inito non adstringatur, id saltem nullo nexu cohæret. Quandoquidem eodem argumento demonstrabitur, quovis in casu, etiamsi non summè perniciose, saltem aliquantum noxio, eundem initi pacti conditionibus absolvī; quin imo in indifferentibus, id est, unde nullum vel commodum vel incommodum Reip. resultat, si quæ dentur, ab omni foederis sancti jure immunem esse. Quæ quam sint absonta, nemo non videt. Præterea hæc consequen-

tia inanis exinde apparet, quod tantum hinc sequatur, Imperanti nihil agendum esse, quod Civibus inutile fore crediderit, dummodo eidem contrarium non placuerit in Constitutionibus, quas ut Fundamenta regiminis ei præscriperunt. Nam semper id ei hoc in casu cogitandum est, ipsos simul unitos melius rei utilitatem perspicere potuisse, quam solus ipse potest; præsertim si se libere imperandi zelo facillime ad iniqua duci posse cogitet, id pro necessitatis casu reputando, quod speciem ejus aliquam primo intuentibus potest offerre. Semper enim id sibi in memoriam revocandum esse existimet, eos ideo determinasse, non ut Principi has res pro arbitrio dirigendas permitterent, sed sibi reservarent; si mala jusserint, ipsos suâ culpâ imprudentiae poenas laturos. Rex igitur est quidem propter Remp. & Civium salutem, sed & propter easdem est initum foedus; hoc ergo cum ipso Rege & naturæ, & temporis ordine prius sit, ab ipso tolli aut imminui non potest, nisi communis alterius partis consensus adfuerit. Imo eo ipso, quod propter Subditos creetur Imperans, evincitur, eidem non licere limitum ab illis positorum transgressionem, cum hæc eorundem libertati, quacumque de causâ fuerit, exitium minitetur. Posteriorem hujus exceptionis basin, quam humanæ mentis imbecillitatem in præcavendis & præfigiendis quorumvis periculorum incommodis arguentes, Magistratui hanc potestatem concedendam putant, non meliorem esse, probat rursum unius paucorumve ad Reip. regimen admissorum moraliter probabilior impotentia, quam universi Populi aut Senatus, leges præscribendas serio perpendentis, imo, etiamsi noxias præscriperit, plerumque damnum, ex earundem observantiâ studiosâ natum, præferentis illi commodo, quod earundem neglectus ipsis peperisset: dum ex transgressione imminentis libertati suæ periculum prævidens, facinus Superioris ægre fert, &c., si audeat, iram suam ob violatum foedus indignabundus postea ostendit.

§. IV. Sed & aliud est, quod nos hujus rei absurditatem docere aptum est, quo hic pactum reverâ violari facillime ostenditur. Nimirum, cum Imperans sit, & constituantur tantum subditorum suorum causâ, & ideo tantum, ut communi omnium saluti, bonis, & libertati bene sit, cum ipso foedus pangant Cives, atque hoc antedictum Dominii Jus non adeo in bonum publicum subditorum,

# I N A U G U R A L I S.

quam privatum & peculiare Imperantis cedere soleat , certum est  
hujus foederis diminutionem etiam extremo necessitatis gradu non  
esse permittendam , cum nemo publica jura tanto dispendio totius  
Reip. in unius alicujus privatum commodum vim pati voluerit.  
Hæc autem Principi potius , quam ipsi morem gerentibus infer-  
vire, hinc liquet ; quod extremi hi necessitatis casus tum plerum-  
que obtineant , quando Purpurati potentiam Regis propriâ ele-  
vatâ deprimere conantur , dum ipsi hi imperio inhiant , qui Re-  
gi in imperio proximi sunt , ab iisdem , si publicum jus rigide se-  
quatur Imperans , certo certius opprimendo. Quo in casu non  
tam Populo , quam Principi vim inferri appetet ; cum non ipsa  
Resp. , sed tantum eandem gubernandi forma sic plerumque in-  
vertatur , ut non tam diminuta , nedum sublata , quam potius au-  
cta videatur libertas , quoniam hac occasione plurimum in Aristot-  
eriatam mutata Monarchia , ampliora liberi imperii vel potius li-  
berorum civium vestigia relinquat. Si vero regerat aliquis , tum  
quoque quando ab externo hoste Regno metuendum venit ,  
casum hunc locum habere posse , & tunc non adeo Principem ,  
quam subditos in discrimen adduci , si res in nervum eruperit.  
Id sibi repræsentet ille , hostium in expugnandis & subjugandis  
aliorum imperiis finem & scopum non tam esse totalem omnium  
bello devictorum ruinam & internectionem , quam propriam in  
explendâ , quâ flagrant , ambitione gloriam , aut iniquâ opum  
corrassione avaritiam. Harum neutram cum ullo modo bonum  
Principem pati deceat , ipse se opponendo majus semper sibi ex-  
spectandum habebit malum , quam ipsi subditi : dum in ejus salu-  
te semper spem subditorum de restituendo impetio fundari & sciunt  
& metuunt invasores , eum ideo hostiam publicæ securitati mactan-  
tes , vel sempiternâ captivitate prementes , ne capite sublato re-  
bellionem corpus Reip. meditetur , cum tantum circa devictos  
vel nil ulterius instituant eorum oppresores , propriâ gloriâ per  
illorum dedecus acquisitâ contenti , vel opes eorundem oneribus  
exhauriant , relictis fere cæteris , dum miser imperans eò durio-  
rem interea fortunam experiri cogitur , quò feliciori antea frue-  
batur. Libertatem amissam quod attinet , certe in Regno aut  
Monarchico regiminis statu exigua plerumque conspicitur , id  
quod reliquum manet , si non sustulisset hostis , fecisset hâc oc-  
casione

g DISPUTATIO PHILOSOPHICA

catione legitimus Imperans , dum etiam hic absoluti , & nullis li-  
mitibus terminati dominii dulcedine raptus , plane despoticum im-  
perium stabilire conabitur , ne Civium indignationem sibi post per-  
actum facinus metuendam habeat , aut si jam olim expertus fuerit ,  
denuo experiatur , idque in rebus , ubi actiones suas magis laude ,  
quam vituperio dignas credit , quas tamen alii sibi displicere palam  
ostendunt . Si vero semel violasse Leges impune tulerit , eas etiam  
quovis casu eo securius invasurus , quo meliorem Reip. ex instanti  
pernicie servare existimationem inter suos fuerit consecutus .

§. V. Præterea si Imperanti licuerit ad salutem Subditorum &  
Reip. pacti leges transgredi , sine ullo fundamentalium constitutio-  
num violandarum metu , idem ipsi vel permisum erit in conserva-  
tione sui ipsius , si necessitas ingruat , & præsens periculum minite-  
tur , vel nullo modo . Posterius affirmare irritum est , nam quem-  
admodum ipse tacitam conditionem legibus hisce subintellectam cre-  
dis , quâ tantum sunt obligatoriae , quando strictam earundem ob-  
servantiam è re subditorum esse existimaverit Imperans , ita & hanc  
quoque subintelligendam esse limitationem statues necessario , quâ  
nullas omnino vires habere creduntur , nisi quando cum Principis  
salute consistere possunt . Nam si certum sit aliquem jurejurando  
adstringi posse in perniciem exigentis jusjurandum , cum is qui præ-  
stat alterius consilium & media ab ipso in avertendis malis adhi-  
benda forsan ignoret , præsertim si unus aliquis toti cætui id præ-  
stare teneatur ; certius adhuc erit , quovis judice , aliquem in cer-  
tum exitium id facere non posse , ut legibus quibusdam observan-  
dis sub peculiari divinæ vindictæ pœna fœsi adstringat ; nisi tali  
subintellecta lege , quando id præcavendi datur occasio , adeoque non  
magis hoc bono ipse excludetur , quam Subditi , qui jusjurandum  
præscripserunt . Priorem vero partem non minor urget difficultas .  
Unusne homo universæ Reip. præjudicium creabit ? sola unius cul-  
pusdam salus omnem pactorum & jurisjurandi vim tollet ? Etiam si  
forsan Regia aut Imperatoria Majestas sit , homo tamen manet ,  
jurisjurandi Deo facti debitor perpetuus . At quanam à parte Sub-  
ditorum in conservandâ libertate remanebit securitas , si non viole-  
tur foedus , ubi leges ejusdem transilire liceat Reip. servandæ cau-  
ſa , & rursum , quando exitium Principis personæ imminet ? Certe  
non in eo consenserunt Subditi , cum pacti leges , ut imperii reci-  
piendi

piendi, & obsequii à Civibus legitimè exigendi fundamenta & conditiones præscribere placuit. Quis enim vel unum in toto Regno de hac conditione, *si saluti Regis non aduersentur*, cogitasse, nedum candem expressissè credat? Cum tamen ad ejusmodi licentiam Plebis aut Ephorum consensu præsertim necessarius sit; quoniam hi, publicæ libertati & securitati invigilantes, Leges cum Principe, dum privatus erat, erigere non dubitarunt, si eidem malum aliquod inde oriatur, suâ sponte ipsum id sibi contraxisse reputantes, cum libere eisdem se subjicerit, & tantum boni inde præ aliis in se collatum viderit, ut easdem recipere, et si annexum fuerit onus aliquod, nullus dubitaverit.

§. VI. Denique, non minus huic opinioni repugnat illa, quam nunc movebimus, difficultas, in eo sita, quod omnes istiusmodi causas, qui sepe finguntur, et si vel rarissimi vel nulli sint, ipsius Imperantis culpâ plerumque exoriantur, si non perpetuo. Sic, v. c. Regi metuenda Purpuratorum potentia, si sagax fuerit & prudens, impediri, aut ad minimum, ne noceat, averti poterit. Belli calamitates evitare debuit, & omnes istiusmodi angustias averruncare, quibus ad hanc extremitatem adigeretur. Si objicias, multa moraliter ne prudentissimum quidem prospicere posse, fateor, non tamen inde necessario nexus fluit, casum necessitatis in rumpendo feedere fundamentali ipsi plane non esse imputandum, cum mox talia media vi pacti adhibere teneatur, quibus si non ipsum malum avertatur, extremitatis tamen evitetur necessitas. Adeo ut haec moraliter probabilis impotentia Principem quidem ex parte, sed non in totum purgare valeat, cum jurisjurandi efficacia se extendat ulterius, quam ut tam facile in totum evitari possit. Neque difficultatem tollit ille, qui movetur, scrupulus, quo omnia haec in Imperantis rationes referri posse impossibile credunt, dum jam ante iustum factus & præstatutum jusjurandum multa a Populo & Antecessoribus fieri potuerint, quorum effectus postea se manifestantes fatalem hunc casum producere apti sunt, quoisque ipse hic, qui nunc Reip, clavum tenet, nunquam extitisse serio optaret. Nam haec tenus infelix est Princeps, cujus dolendæ vices, non tamen plane insons, cum prudenteriam requisitam non adhibuerit in omnibus inquirendis, quæ pactum initum præcesserunt, ut ita media sibi pararet, quibus pacti transgressiones impediret.

§. VII. Hisce igitur sententiam nostram confirmare contentis eandem ab objectionibus vindicare est animus. Primum igitur, quodque præcipuum inter omnia, hoc est; hic in extremo necessitatis gradu, ubi nulla amplius, sine manifesto Reip. exitio, Legum Fundamentalium observatio esse potest, ubi omnis & occasio, & cum ea spes sine extremo malo elabendi intercidit, nullam esse in Principe Fœderis, quod cum Subditis suis pepigit, aut annihilationem, aut cum violatione diminutionem; quandoquidem omne pactum, & proinde etiam omne ejus accessiorum, quale hic est jurandum, communi partium contrahentium consensu tolli potest, dummodo res in integro manserit. At cum hic istiusmodi consensus inveniatur, Princeps, si Leges in electione præscriptas transiliat, fidem fellisse dicendus non erit. Consensum autem Populi idem cum Imperante hac occasione obtinere exinde confirmant, quod qualiscumque subditorum fuerit, si periculum, in quo versatur, agnoscat, & sanæ mentis homo sit, non poterit non idem velle, quod Imperans; sc. eum, quantum in se est, solvendo vinculis Legis, cuius observantiam ab eo, ut Reip. pars, in coronatione exegit, & desiderando tale effectum, quale prudens Princeps efficeret certo certius, si Legi huic nunquam adstrictus fuisset. Sed observandum est, tacitum istiusmodi Subditorum consensum Principis obligationem jurejurando stabilitam dissolvere non posse, cum talis eandem producere nullo modo valeat, qui tamen solus ejusdem causa & fundamentum & fuit, & esse potuit. Quis enim concedat, tacitum Ci-vium inter se desiderium, nullo externo signo prolatum, uni aliqui imperium deferre potuisse? aut aliquem isto, tanquam justo titulo, si postea innotuerit, alium solo amovere posse, quem sereno vultu Fortuna præsentem invenit, cum hic forsan aut absens, aut alio casu infelix, fascesibi destinatos amisisset? Et eodem modo, sicuti fecundus producere, jurandum exigere, & ex illis aliorum obedientiam debitam, alicui concedere voluntas occulta non potest, sic neque eandem, præstito jurejurando, & initio per expressa signa fecundere, obligationem tollere posse apparet; cum sola interna mentis actio & immanens externas & imperatas operationes tollere nequeat. Docent id aperte Romanorum Dicunt memorie tradita exempla, quorum cura omnis cum in eo versaretur, ne Resp. per militaris disciplinæ contemptum aut neglectum aliquid detrimenti caperet

caperet , filios suos ipsi ab Urbe reduces neci tradiderunt , etiam re præclare gesta ; idque tantum , quod mandatum de non confe- rendis cum hoste manibus vilipendissent , cum absentiam Parentum majora negotia exigerent . Consensum suum ad istiusmodi con- flictum non negaturum fuisse Patrem docuit eventus , qui tanto ze- lo ardens pro patrii dominii propagatione , ut ipsum animum pater- num hâc de causâ exuere non erubuerit , ipse rei bene gerendæ oc- casionem manibus elabi non permisisset . Hic tamen solam manda- torum transgressionem in Filio tam severe puniri voluit , cum ta- men inter Cives & Principem & pactum , & jusjurandum intercesserit , quorum obligationem longe arctiorem esse nemo diffiteri poterit . Nec sufficit , si quis objecerit , allatam necessitatem , quâ voluntatem exprimere prohibentur Cives , supplere defectum externi signi , quod ad constitutionem fœderis requirebatur , ejusque diminutionem in alterius partis dispensatione requiritur ordinario . Nam (præterquam quod hâc eadem necessitas nec fœdus producere possit , nec jureju- rando fancire , nisi externa voluntatis significatio adfuerit , multo minus pactum , solenni modo confirmatum , & duplicitis obligatio- nis in jurante causam confringere) illud etiam notandum venit , nul- lo modo necessitatem , ab homine aut humanis rebus oriundam , obligationi summo Numini præstandæ impedimentum esse posse , cum non sint patranda mala , ut inde exoriantur bona , juxta Reli- gionem Christianam , naturali innatâ suffultam , quâ prior & anti- quior obligatio Deo debita , recentiori quoad homines , si pugnant , præponenda .

§. VIII. Sed & alia est non minor difficultas , quâ hujus opinio- nis falsitatem demonstrare conantur adversæ sententiæ patroni . Sci- licet omnium eorum , quæ in Rep. fuint , hunc unicum dicunt es- se scopum & finem , ut communis omnium incolmis sit vita , bo- na , libertas & quicquid Cives ad mutuam concordiam excitare po- test , secundum illud : *Reip. salus summa lex esto.* Atque inde tantum omnia pacta institui , jurejurando confirmari , aliaque plurima fieri consuevit , ut universæ multititudini , quantum fieri potest , bene sit , adeoque , cum per Legum , etiam Fundamentalium , constitutionem & confirmationem , illud tantum intenderint , aut saltem intendere de- buerint , tum qui Principem creant , tum Princeps ipse , cui impe- ri bene gubernandi provincia demandatur , omnes hi talem necessi-

tatis casum , quo Resp. periclitaretur , exclusisse putandi sunt , & hoc obtinente , obligatio pacti & jurisjurandi cessare credenda est. Sed quam sint infirma hæc omnia , videbimus , si attendamus , ultimum quidem & unicum tum pacti , sive Legum Principi præscriptarum , tum jurisjurandi ab eo præstiti finem esse , cunctorum in Rep. salutem , sed ita , ut hæc ipsa illarum sedulâ & diligentí Principis observantia promoveri credatur : ut non tantum intenderint Reip. commodum in foedere ineundo & firmando , sed etiam fideliter servando. Hinc in finem jusjurandum præstari voluerunt , ut ita manus esset obligationis vinculum , sic ut non de his necessitatis casibus excipiendis , quam Principe , quoad fieri potest , arctissime ligando fuerint solliciti , ne quæ elabendi daretur occasio ; adeo ut hæc in Legibus præscribendis intentio circa curam publici commodi non tam Principi in necessitate veriam facere , quam arctius ligamentum injicere credenda sit , & ipsum hoc verbum , *Reip. summa lex esto* , Principis obligationem augere , cum Reip. salus in strictissimâ promissorum observantia maxime consistat. Evidenter hujus responsi veritas patescit ex eo , quod si contingat , inter Leges Fundamentales aliquam reperiri , cuius stricta obedientia non tam utilis , quam potius aliquantum noxia sit Reip. , & si non ipsum interitum , faltem notabile damnum eidem inferens ( qualem facile vel error humanus , vel quotidie mutatae rerum circumstantiae , vel rarius contingentes casus secum ferre solent ) ipse tamen illius Legis negletus , à Principe commissus , illicitus habeatur , quod nimia censeatur jurisjurandi præstiti obligatio , quam ut damno , etiam insigni , quamvis in posterum reparabili , dissolvi possit. Manifesto indicione quidem ipsam , quæ exacte servata ipsum interitum minatur , ullo modo justitiae præjudicium creare posse , cum quantumvis auctum periculum obedientiam erga Deum non tollat ; & certo arguento , Legum Fundamentalium observatione non liberari Principem , si ingruens necessitas cogere videatur , cum noxias quidem , minus tamen discriminis & detrimenti adferentes publico commodo & utilitati , eo fine non fuisse latas doccat eventus , quo ferri debuissent , si fine ullâ limitatione intelligenda forent hæc : *Reip. salus summa lex esto*. Quia si quando statutum aliquod Reip. bono adversum foret , non tantum non teneretur Princeps in eo observando fidem datam solvere , sed ex adverso Reip. commoda , illud contemnendo , pro virili promovere.

§. IX.

§. IX. Objiciuntur quidem imminentia Reip. fata, & extremæ necessitatis tremendi casus, quibus totus Reip. status invertitur, & quorum causa erit solum hoc Imperanti præscriptarum conditionum rigidum jus, nulli transgressioni, quacumque occasione obtigerit, veniam faciens, sed ubique exactam in observando pacto diligenteriam exigens. Verum minor apparebit hujus objectionis difficultas, si casus hos rarissime contingere perpendamus, imo nunquam forsitan, nisi à Principibus ad ampliandum imperii sui ambitum excogitatos. Et si è contra concipiatur mens, hinc oriundam Reip. & omnium libertatis tuendæ cupidorum tranquillitatem, longe, quam cæteroquin fieret, majorem, curamque animos ipsorum continuo sollicitantem & inquietantem milieuplo minorem, quam si adversariorum opinio obtineat (quandoquidem Imperantibus, arctiori limite circumseptis, rarer futura sit occasio libertatis fundamenta subruendi, & sub æque & juste imperandi specie, iniquum & tyrannicum imperium exercendi) nullum hujus difficultatis pondus apparebit, ut ita, quicquid incommodi restiterit, auctâ hac in servandâ libertate securitate, abunde compensetur. Aut si plane & omni modo compensari non possit, reliquum dandum sit justitiæ Divinæ, primas ante omnia gravissima incommoda humana procul omni dubio servantis, juxta illud: *fiat justitia & pereat Mundus.*

§. X. Quicquid autem de Principum absolutâ eminentiâ subditorumque ad eosdem subjectione prorsus servili clamitant alii, dum illis tam illimitatum quoad Cives dominium attribuunt, ut his omnem Imperantibus resistendi potestatem, etiam in sevissimæ tyrannidis exercitio, denegent, utpote qui ipsis tales sunt, ut omnium male factorum soli Deo, nulli vero subditorum rationem reddere teneantur. Hi omnia libertatis fundamenta sine fundamento subruentes, suam opinionem, sive potius insanientem errorem non propugnabunt, nisi prius Principes humanæ sorti exemerint, & in Deorum throno collocatos omni vi pactorum, etiam jurejurando confirmatorum, superiores fecerint. Id certe ex hac à nobis antea demonstratâ veritate fuit, Tyranni omnia Jura Fundamentalia contemnit imperium sine crimine à Subditis respui; cum ipse Legibus, quæ obedientiæ à Civibus exigendæ unicum sunt fundamentum, ne quidem in summâ necessitate repudium mittere possit, nedum tunc, quando nulla necessitatis ratio, præter ambitionem inexplicabilem, eundem eo impellere potest.

A N.

## ANNEXA PHILOSOPHICA.

1. Philosophia Theologia ancillatur.
2. Est autem omnium humanarum disciplinarum prestantissima:
3. Si pro primo principio habeat impossibile est idem simul esse & non esse;
4. Si vero, Cogito, ergo sum, est mera ignorantia & Scepticus, si non peior.
5. Ejusque Dubitatio universalis est impossibilis, illicita & erronea:
6. Prasertim, si verum fuerit, non paradoxum, sed heterodoxum; Deus falere potest si velit.
7. Aut si admittas Deum efficere posse, ut contradictoria simul vera sint;
8. Eudemque, quoad essentiam, cum aliis spiritibus nullibi esse.
9. Demonstratio ab ipsis idea nobis innata desuma futilis est, cum sit obscurissima & confusissima idea, & esse debeat.
10. Firmum autem est à subordinatione causarum desumtum argumentum, cum hoc semper finita esse debeat.
11. Hoc autem simul cum notitia Dei innata Atheos non admittit.
12. Clara & distincta perceptio veritatis norma esse in nobis non potest:
13. Prasertim si accedat Enthusiastica idearum innatarum imaginatio:
14. Ut & imaginari habitus acquirendi de praeceundo omni errore prae-  
sumptio.
15. De infinito disputare licet, utile, injunctum judicamus.
16. Attributa Dei in communicabilia & incomm. recte distinguuntur.
17. Ejusque Potentia aequaliter Voluntate distinguenda, ac hoc ab Intellectu.
18. Deum circa se agere, ut causa circa effectum, absurdissimum est.
19. Spiritum corpore notiorem esse rationi repugnat.
20. Mentem nec in cogitatione consistere, nec semper cogitare credimus.
21. Corpus, ejusque modus, nec est, nec esse potest, uti nec ex traduce est.
22. Unionem in actionum convenientiam consistere risu dignum est.
23. Facultates mentis realiter distinguere supervacuum est.
24. Qualitates occultas innumeratas admittimus.
25. Imo omnes rerum essentia fere nos latent.
26. Corpus autem existere demonstrare frustra conaberis.
27. Non est arrogantis Hominem mundi finem credere.
28. Plures Mundos dari posse certum, an dentur, sicut ratio.
29. Utique an successive, & immediate fuerit creatus.
30. Estque finitus, non indefinitus, nisi quoad conceptum.
31. Spatia imaginaria vulgo dicta sunt necessaria.
32. Mundus eternus nec est, nec esse potuit.

33. Mundi figura qualis sit non demonstrabitur.  
 34. Toti motus nullus competere videtur.  
 35. Vortices Mundi destruunt eum plane.  
 36. Elementa essentialiter non transmutantur.  
 37. Numerus eorum nobis est indefinitus.  
 38. Motus quantitas in Universo mutatur continuo.  
 39. Eum de subjecto in subiectum transfere posse negamus.  
 40. Ejusque causam formam substantialem admittimus.  
 41. Motus vacufugitorius sic dictus nobis est certissimus.  
 42. Motus absurdissime in absolutum & respectivum dividitur.  
 43. Quies est mera privatio.  
 44. Locus falso statuitur ipsum corpus.  
 45. Idem judica de situ corporis, & ambientis superficie.  
 46. Vacuum non tantum possibile; sed etiam vacuna dantur.  
 47. Ignis semper caleat & lucet.  
 48. Falso in celerrimo motu minimarum particularum ponitur.  
 49. Lucidum nunquam fit ex opaci condensatione.  
 50. Frigus mera privatio est.  
 51. Lumen absurdissime ponitur in conatu globulorum recedendi à centro.  
 52. Gravitas a globulis caelestibus procedere non potest.  
 53. Fluidum non consistit in continuo particularum motu.  
 54. Jus Natura non est ex sola consuetudine aut traditione.  
 55. Leges naturae non sunt omnes absolute immutabiles.  
 56. Prima Lex non est conservatio sui; sed Dei gloria.  
 57. Actiones indifferentes hic & nunc nulla dantur.  
 58. Federum origo non est motus communis & mutuus.  
 59. Dominium plane absolutum non datur, ita ut in omni imperio oblitus  
neat Tyrannis.  
 60. Tyrannus legitime imperio excutitur.  
 61. Etiam ab iis, quibus libertatis cura commissa non est, si plane negligentes fuerint alii.  
 62. Bella licita, imo quandoque injuncta sunt.  
 63. Duella tamen injusta.  
 64. Aliud est in moderamine inculpate tutela.  
 65. Homicidii veniam nemo legitime sibi arrogat.  
 66. Imo Homicidam in fuga juvare peccatum est.  
 67. Mendacia nunquam permitta.  
 68. Æquivocationes mendaciorum peiores sunt. I F

69. Aihel

Ex Officina FRANCISCA MALMA, Academia  
 Typographi, dicitur.

69. Athei è Rep. tollendi.  
70. Tortura iniqua sapissime est.  
71. Virginitas licite defenditur cum morte invasoris.  
72. Jurandum vi illata præstatum aque obligat, ac aliud.  
73. Beneficia sola non sunt adoracionis fundamentum.  
74. Ludi sortitii Legi adversi.  
75. Sceleratorum bona male adjudicantur fisco.  
76. Peius est, quod liberi eorundem dignitatibus privantur.  
77. Idem de Spuriis judicium esto.  
78. Peculatus male puniuntur mortie.  
79. Terra interior ignea esse non videtur.  
80. Esse rotundam, & Antipodes dari certum est.  
81. Mari saledo est concreata.  
82. Luna estus marini per pressionem aëris causa esse nequit.  
83. Numerus tantum habet esse in mente.  
84. Non mox est quadrangulum quod à 4, rectis componitur.  
85. Angulus contactus est quantus.  
86. Angulus à diametro & circumferentia recto rectilineo non est aqua-  
lis.  
87. Circulus simplicior est Triangulo.  
88. Proportio diametri in circulis inæqualibus est aequalis.  
89. Astrologia est fictitia.  
90. Orbis solidos non admittimus.  
91. Tychonis systema reliquis preferendum.  
92. Circuli majores & minores tantum in intellectu sunt.  
93. Cœlum & stella distinguuntur specie.  
94. Omnium stellarum corpora non sunt rotunda.  
95. Quasdam stellas atmosphera tegi non est probabile.  
96. Sublato Terra hemispherio reliquum uni homini tantum erit habita-  
bile.  
97. Utique Polus eidem poterit esse conspicuus.  
98. Sol male oculus Macrocosmi appellatur.  
99. Aer non movetur simul cum Sole.  
100. Cœlum Empyreum non videntur incorporeum.

F I N I S.